



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola VI. Innocentii Papae II. Ad Gerardvm Tripolitanvm, R. Tortosanvm  
Et H. Byblitanvm Epsicopos. Eiusdem argumenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

## EPISTOLA VI.

## INNOCENTII PAPÆ II.

AD GERARDVM TRIPOLITANVM, R. TORTOSANVM  
ET H. BYBLITANVM EPISCOPOS.

Eiusdem argumenti.

*Innocentius episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Gerardo Tripolitano, R. Tortosano, & H. Byblitano, episcopis salutem & apostolicam benedictionem.*

**S**CIRE debet vestra fraternitas, quoniam status ecclesiæ tunc clarius elucecit, cum gradus in ea constituti illæsi seruantur, & quæ debetur prælatis singulis absque contentione seu contradictione reuerentia exhibetur. Vnumquemque etenim ex his qui subiecti sunt considerare conuenit, quanta suos prælatos, si quos habeat, reuerentia & honorificentia debeat honorare: quæ si iniuste & immerito subtrahantur, vnitatis status profecto nutabit, ad quem ecclesiastica doctrina ob maiores firmitatem diligent consideratione omnia in se ordinando reduxit. Ne igitur ecclesiarum vestrarum honor vel dignitas ob contentio nem seu rebellionem indebitam minuatur vel annulletur, per apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus, quatenus venerabili fratri nostro Fulcherio Tyrensi archiepiscopo tamquam metropolitano vestro debitam obedientiam & reuerentiam deferatis. Nos enim vos & ecclesiæ vestras Tyrensi ecclesiæ, quæ vestra metropolis est, auctoritate apostolica restituimus, & a iuramento vel fidelitate, qua patriarchæ Antiocheno estis adstricte, eodem modo absoluimus. Si vero nostris mandatis obedire, & intra tres menses post harum acceptionem literarum ad obedientiam prædicti fratris nostri redire neglexeritis, sententiam, quam ipse in vos canonice promulgabit, nos auctore Deo ratam habebimus. Datum Laterani decimo sexto Kalendas Februarii.

EPI-